

Für Herrn Züsch  
mit freundlichen  
Grüßen.

Frank Hahn

† 1842 | 27. 12. †


37002

# MEMORIAM

VIRI CONSULARIS

## AMANDI AUGUSTI ABENDROTH

J. U. D.



---

PUBLICA AUCTORITATE

CIVIBUS COMMENDAT

C. F. WURM,

PH. D. IN GYM. HAMB. ACADEM. HISTORICAR. P. P.

---

HAMBURGI 1852.

TYPIS IOANNIS AUGUSTI NEISSNERI, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII ET IOANNEI TYPOGRAPHI.

## I.

AMANDUS AUGUSTUS ABENDROTH, Hamburgensis, natus die 16. Octobris anni supra millesimum septingentesimum sexagesimi septimi. De genere ipsius, deque vita ante quam in Senatum legere acta perpauca sunt quae ad meam notitiam pervenere. Patre,<sup>1)</sup> qui vir erat strenuus, literis doctrinisque liberalibus non leviter imbutus, usuque rerum exercitatus, orbatu est priusquam in academiam migravit. Neque parum, pro ejus indole, fecisse arbitror ad firmandum animum atque ad res tam adversas quam secundas praeparandum, quod tam mature ipse sibi quasi tutor est constitutus. Migravit autem in academiam Erlangensem, in qua scholis inprimis usus est Glückii, Klüberi et Meuseli. In numero familiarium Altensteinium fuisse accepimus, Naglerum et Struvium. Cum Altensteinio nova aliqua ipsi postea intercessit necessitudo; continuata arctiusque juncta amicitia cum Struvio, qui nostra in urbe longam per seriem annorum Russici legati munus sustinebat, comitate, scientia, omni denique genere humanitatis conspicuus et amabilis.

Gottingae rite promotus (sic enim nunc loquuntur) Hamburgum rediit, sed non jam vela contracturus, neque (quod plerisque valde solet esse molestum) id acturus, ut in quotidianam hanc, adsiduam, urbanam vitam sese reciperet. Sed comitem sese praebebat amico paucis annis seniori, Joanni Henrico Bartels, qui peragrata Italia (cujus partem inferiorem cum Sicilia insula scienter descripsit) Venetiis sponsalia fecerat cum virgine generosa quam ducturus in matrimonium Venetias jam repetere constituerat. Noster utpote sponsi amicus

magnificentissimo hospitio in villa Reckiana (id nomen genti) receptus, alteram Reckii negotiatoris spectatissimi filiam quum primum vidisset, tum vero bonis avibus iter susceptum cognovit. Atque vicesima post Bartelsii nuptias die sororem novae nuptae, Joannam Magdalenam, duxit.

Ambarum nuptiarum dies anniversarii quum interjectis decem lustris illuxissent, eo celebrati sunt civium concursu, ut privata laetitia in publicam gratulationem conversa videretur. Et quos modo dixi juvenes, qui facti erant jam dudum viri consulares, quo jam sensu erga Deum gratissimo perfusos, qua conscientia erectos censetis patriam intuitos esse civitatem, quae, per tot rerum discrimina, afflicta calamitatibus sed non oppressa, libertatem et recuperasset et servasset, quum, inter tot urbes quondam liberas, illa quoque, in qua dies olim vere festos egissent (florentissimam dico rempublicam, Hadriae arbitram) in alienam dominationem incidisset.

Iter Italicum cum nuptiis quum tam prospere cessisset, quod si reversus in patriam genio constituisset indulgere, neque exempla defutura erant ea tempestate neque occasio. Praeter usitatam enim ~~navigantium frequentiam atque opportunitatem mercandi, quae solet~~ esse maxima, singularia lucra civibus nostris addita ex ipsis belli temporibus, quae aliis damnum, nobis quaestum adferebant. Crescente autem cum opibus luxuria, adfluente peregrinis urbe, levitas quaedam ingenii pro politiori elegantia coepit haberi. Verum Ille, qui omnem per vitam officii rationem non commodi ducendam arbitrabatur, tum quoque animum applicabat ad res non serias modo, sed laboriosas, quaeque non nisi tenuem, ut pro insigni utilitate publica, gloriolam paratura videbantur.

Facto compluribus ex annis per privatos periculo, quam potissimum ratione sustentari possent et foveri quos in civitate scirent praecipue egere, publica pauperum cura, auctoribus Bûschio, Voghtio, aliisque viris gravissimis, ea lege est instituta, ut auxilium ne cui daretur qui laborem defugeret, neque denegaretur ulli, qui labori

esset impar. Quae res quum circumeundo, sciscitando, inquirendo, in cura singulorum omnis consisteret, ad indolem Nostri unice erat comparata, qui inde ab anno CIODCCXCV indefessam operam in promovendo illo instituto collocavit. In eo jam erant, ut aperte profiterentur, quod in tanta hominum colluvie novum erat et inauditum: stipem sese sustulisse. Per magnam inde Britanniam, per Gallias et per Austriam ibant praeconia, esse aliquam mortalium sedem, eamque omni genere incolarum peregrinorumque frequentissimam, in qua mulcta esset rite indicta, si quis stipem rogaret sive roganti suppeditaret. Et sustulerant quidem, sed, si Nostrum audias, <sup>2)</sup>ratione non omnino probabili. Solebat enim dicere, ipsis agendi principiis nihil esse simplicius, nihil sanius; sed qui tum temporis in ea re essent versati, semet ipsum inter alios, nescire se quo pacto, nimis fuisse molles et exorabiles; adminicula satis ampla parentibus non suo, sed liberorum nomine data, ita ut melior conditio esset ejus, qui publica auxilia quiricaret quam hominis ingenui, qui multo sudore ac labore sibi suisque provideret; aedificando deinde, subministrando, dispendia dissimulando, lautius esse factum quam rei necessitas exigeret, quamque immutata paulo post tempora opesque imminutae paterentur, quum Albis obsidione premeretur, et bella, horrida bella, infestum mare, et infestiores redderent continentem. Haec et talia Ille non coram amicis tantum, sed publice professus est. Jam vero si quod officium pro tuis viribus expleveris et ipse tibi satisfeceris laudemque inde ab aliis tuleris, non sine aliquo dolore atque animi commotione cognosces in errore te versatum et quodammodo proposito excidisse. Quod sentire prudentiae est, confiteri etiam fortitudinis. Accedit quod Ille, jam prope senex, quum alii ista velut aurea secula recordatione recolerent, non laudatorem egit temporis acti, sed candidum scrutatorem et, ubi opus esset, vituperatorem.

Neque hac una re privatus reipublicae inservire paratus erat. Est in urbe nostra societas quae non artium solum excitandarum sed

universi emolumentum publici studium prae se fert, de republica optime merita, et quo vulgo solet insigniri nomine dignissima. Ad eum coetum Ille rogationem tulit<sup>3)</sup>, ut proposito pretio idoneos homines incitarent ad explicandam et illustrandam Hamburgensis reipublicae formam, ne talis scriptio succincta et accurata literis nostris deesset. Ignoti nullam esse cupidinem; cives nostros patriam civitatem debito amore non amplexuros, neque ipsam libertatem justo honore habituros, nisi cognita et perspecta reipublicae indole. Eam disciplinam scholis nostris deberi, id est, juventuti, in qua universa sita sit reipublicae spes.

Cujus rogationis rationem et causam deprehendere mihi visus sum alia in re, ex qua colligere licet curiosiorem illum fuisse ad investigandum jus publicum nostrae civitatis. Quum exigua de causa, ut fieri solet, gravior controversia nata esset de jure magistratuum, Noster accurate ea de re disputavit<sup>4)</sup>. Turbatum erat imprimis de vi legis de judiciis, quae Nostro acrius rem reputanti ne lex quidem esse visa. Qui quum videret virum gravem neque indoctum in aliam plane sententiam abire, dubia ista ex ignorance juris publici esse profecta recte judicavit. Et quod Romano homini longe turpissimum visum, id ne nostris in rebus eveniret, summa ope censebat adnendum; scilicet ut rempublicam non nossent qui in republica versarentur essentque in magistratibus qui ignorance juris sui tantum saperent, quantum apparitores vellent.

Anno MDCCCC iter fecit, Venetias, comite uxore, revisurus. Redux ab Italia, Francofurti ad Moenum, nuntium accepit, absentem se in amplissimum ordinem esse cooptatum. Quod ille munus quum vix suscepisset, instabant illa tempora, quae noctem reipublicae verissime appellaveris, et quibus viri fortes imprimis desiderarentur. Tum vero apparebat, Nostrum de sua voluntate non liberalius quam verius esse pollicitum, quum amico<sup>5)</sup> dixisset, operam sese daturum, ut ne unquam rempublicam factae electionis poeniteret.

## II.

Praetura quam sit strenue functus, multi sunt testes, neque ultimo loco posuerim Bernadotti, qui tum temporis in urbe cum imperio versabatur, ea de re testimonium.<sup>6)</sup> Id autem inprimis 6) agendum erat, ut ne inter arma leges silerent.

Anno deinde millesimo octingentesimo nono Ritzebuttelium est missus, ad regendum municipium, quod, praesidiis et vectigalibus exhaustum,<sup>7)</sup> virum fortem non rectorem solum sed defensorem et vindicem desideraret. Munus illud, honorificum sane omni tempore, sed inter tot rerum discrimina satis difficile, auspicatus est d. 23. Aprilis. Idem exiguo tempore civium animos ita sibi conciliavit, ut patrem sibi missum, non magistratum, unanimes affirmarent. 7) V

Est vetus castellum, turribus munitum, quod nostrates olim vi atque armis occupatum, pretio deinde pactisque redemptum, municipii sedem constituerunt. Ibi videres frequentem et civium et peregrinorum congressum. Francogallorum quoque duces hospitalissimi praefecti humanitatem saepe sunt experti, qui idem ea erat gravitate, ut militarem licentiam verbo et quasi nutu contineret. Erat autem Francogallis fere diuturnum ab hoste otium, nisi quod subita trepidatione interdum concitarentur, cum armatae Anglorum naves, e longinquo dispectae, non aditum portus tantum navigantibus intercludere, sed jam instare atque in eo esse viderentur, ut ad oras istas appellerent et praesidia lacesserent.

Illo enim ipso anno, non fortuita, sed probe excussa aderant consilia ad omnem Germaniam, qua Oceanum spectat, solicitandam. Parata omnia, Anglorum opibus armisque, Germanorum consilio et virtute instructa.<sup>8)</sup> Sed ecce inducias, quibus Austria praeter spem 8) V omnium ingravescenti bello occurrendum censuit. Quibus induciis dici vix potest, quanta sit dubitatio inde a Noricis Alpibus usque ad

Albis ostia animis injecta. Anglorum quoque consilia conturbata primum, deinde in male ominatam expeditionem derivata. Inter Germanos paucissimi,<sup>9)</sup> despondentibus reliquis, clade insigniri, quam praesentia pati maluerunt; vicit enim, in rebus plus quam dubiis, vicit amor patriae et laudum generosa cupido. 9.) ✓

Verum enimvero Noster longe aliam in sententiam discessit. Tanta molimina quum sine ullo fructu elapsa intueretur, in cunctatione<sup>10)</sup> omnem spem ponendam, proximae cuique necessitati pro virili consulendum, universa autem consilia temporis accommodanda opinabatur. ✓

Hospitum in numero, qui honoris causa salutandi essent, fuit et Hieronymus, Westphaliae rex, qui nescio an sine invidia supremum illum atque avulsum quasi a suo regno tractum viserit. Quem regem Noster ita magnifice et ornate, tantaque cum dignitate excepit, ut ad literas ea de re lectas gratiarum actione<sup>11)</sup> respondendum decerneret Senatus Hamburgensis. 11.) ✓

Sed jamjam instabat tempus, cum, ne simulacro quidem liberae reipublicae relicto, civitas nostra in municipium imperii Francogallici redigeretur. Tum vero novi domini in Nostrum consentiebant, quippe qui unus omnium quam maxime idoneus esset, cui, sub auspiciis praefecti, omnis rerum urbanarum cura demandaretur. Exstant literae Chabanii, quibus et Nostrum commendat,<sup>12)</sup> et hortatur Davustum,<sup>13)</sup> ad legatos urbium, qui ineunte anno Parisios erant missi, quam primum revocandos, novumque rerum ordinem, ne quid spei vel dubitationis superesset, omnibus modis ab integro instaurandum. ✓ 12/13 ✓

Antequam novum munus aucuparet, ipse cum collegis, viro amplissimo Bartels atque Knorrio, quaestore optime merito, Parisios est missus, ut pompae solenni interesset atque Imperatori de filio recens nato gratularetur. Erat autem ille Princeps Juventutis, quem in id natum jactabant, ut Romanos regio nomini conciliaret. Tum primum Montalivetum consalutavit, qui ducem sese Nostro ad Impe-



ratores accessuro et in aulicis ceremoniis *μυσαγωγόν* admodum comiter obtulit.<sup>14)</sup> Vidit quidem Napoleonem, sed stipatum et quasi obsessum salutantium multitudine;<sup>15)</sup> vidit et Augustam;<sup>16)</sup> sed medio de fonte leporum surgebat memoria patriae civitatis, quae debitam operam desideraret. Ipse officio deesse sibi videbatur, dum ludis et specie legationis suspensus detineretur. Morae igitur impatiens veniam reditus sibi collegisque efflagitavit.<sup>17)</sup> Idem Chabanium summa cum gravitate hortabatur, ne quid minus considerate, vel inconsultis viris expertis in administratione rerum urbanarum novaretur.<sup>18)</sup> Neque minori cura publicis Ritzebuttelensium commodis inservire studebat. Auctoritate enim data designandi successoris<sup>19)</sup> oblataque occasione sententiae de constituendis judiciis<sup>20)</sup> promendae, ita omnino est usus, ut, quantum in ipso esset, municipium habenas quam minime sentiret immutatas.

14.)

15-20.

## III.

Ineunte seculi nostri anno decimo tertio Hamburgenses, excusso Francogallorum jugo, non laudem solum sed admirationem<sup>21)</sup> ✓ universae Germaniae sunt consecuti. Tanti tamque magnifici motus si quis Nostrum ducem et auspicem desideret, libere nobis exponendum, quales tunc temporis partes, quaque de causa, Noster sibi sumserit; ne in nos cadat Tullianum illud (Brut. c. 16), hisce laudationibus historiam rerum nostrarum factam esse mendosiore. Idem enim Ille, quem justum et tenacem propositi virum toties experti erant Francogalli, Ille, inquam, quem in officii dignitate impavidum rei publicae quam privatae studiosiorem sese praestitisse tot civium testimonia conclamant, tum temporis non praecipiti consilio, sed cunctatione rem restituendam censuit, quamvis probe perspectum haberet, hancce rationem multis iisque cordatis viris, ipsique amicis-  
simis, displicere.

## VIII

Quo quis accuratius memoriam rerum illa aetate gestarum repetierit, eo facilius cognoscet originem istorum motuum in omni Germania mere fuisse popularem, dissuadentibus magistratibus vel palam adversantibus, quippe qui, desueta et paene deleta pristini status recordatione, provincialis periculi et proximae cujusque curae satagerent. Quum enim Borussia, pessimo sane exemplo, pace Basileensi suam salutem rebus Germanicis anteposisset, quid mirum quod in aliis quoque rebus publicis simile consilium insignis prudentiae speciem prae se ferre videbatur. Tum vero magistratus, prout libido aut violentia imperantium instaret, aestuare, tergiversari, Deum hominumque fidem obtestari, et desperata publica salute privatam incolumitatem omnibus modis sectari. Gliscebat deinde inter cives eadem Germanici nominis incuria. Gravissimus quisque docebat, pro sua cuique civitate nihil non audendum, sed vanum esse, pro umbra Ratisbonensi mortem oppetere. Ita factum, ut civitates, quibus species libertatis relicta esset, de immunitate recens concessa vehementer sibi gratularentur. Scilicet bello coorto, pecunia tantum irrogata, militiam defugere et velut e longinquo belli certamina tueri suavissimum arbitrabantur. Qua ratione dici vix potest, quantum sit de prisca fide et virtute detractum. <sup>22)</sup> Nec deerant, qui pietatem (quae magna debet esse erga vicinos, erga patriam maxima) specioso argumento animis exuerent. Commercia non regione aliqua contineri, sed jurgentium inniti, quod latissime pateat; argenti bonum e mercibus quibuslibet odorem; simul cum pace reditura Saturnia regna; Hamburgum, licet deminuto imperio Germanico, vel plane nullo, florentissimum orbis terrarum emporium futurum. <sup>23)</sup>

Jam vero, quum primum Francogalli abitum pararent, ingens instabat animorum concitatio. Sparsas primum audires voces, mox uno fere omnium ore prolatam sententiam: Germaniam denuo nascturam; tandem aliquando expergisci populum, sopore obrutum, suaeque majestatis oblitum; nobis quoque tempus adesse expergiscendi, nomenque Germanicum, si modo digni fuerimus, vindicandi; audendum

esse, nostris viribus, nostra virtute utendum, et vestigiis majorum, qui libertatem tot praeliis pepererint, ingrediendum.

Noster, sive parum fiduciae collocans in tam subita mentium conversione, sive accuratius re dispecta, praematurum eum impetum judicavit. Cives sua ipsorum virtute aliquid molientes gloriam posse consequi, libertatem, nisi foederatis undique copiis stipatos, vindicare non posse. <sup>24)</sup> Satius esse, tempora opperiri, quam, nullo Germaniae beneficio, Hamburgensem civitatem in summum discrimen ultro deducere. Quid multa? incassum contendi, urbemque rebellionis poenas mox daturam, ita firmiter sibi persuasum habebat, ut civium ardori tantum non succenseret. <sup>25)</sup>

Proximo si velis ex eventu judicare, recte illum divinasse satis constat. Nostratum enim, urgentibus fati, inopiam, Ruthenorum in urbe socordiam, vanum a Suecis solatium, Danorum denique defectionem quis nescit? Immodica quidem illa spes et fiducia, quae civium animis inhaerebat, mendax, sed splendide mendax in extremo est reperta. Quod illi, licet incassum et iniqua fortuna, tentarunt, manet, mansurumque est in memoria temporum, fama rerum. Nostro quoque, casum urbis postea reputanti, <sup>26)</sup> quamvis de sua sententia non discederet, sanctius tamen visum est et reverentius, disertis verbis illorum virtutem collaudare, qui, quantum in ipsis esset, de patria civitate aequae ac de nomine Germanico optime meruerint.

Ab initio autem, parum fidens, ut diximus, negotio, id consilii amplexus est, ut, quae avertere aut reprimere non posset, hostibus saltem qualicumque modo excusaret. Urbem non sua sponte, sed supervenientibus Ruthenis de restituenda republica cogitasse; cives imperatis tantum morem gessisse, arma deinde, quae detrectare non licuerit, cepisse; magistratus quoque vi coactos pristini status memoriam revocasse, quum Ruthenorum dux haud obscure edixisset, sese urbem, nisi abolitis imperii Francogallici insignibus, pro inimica habiturum. Cujus rei ut probabile exstaret documentum, concilium, quod urbanis rebus erat constitutum, minas Tettenbornii in tabulas referri jussit,

antequam summa rerum ad Senatum deferretur.<sup>27)</sup> Ex Montaliveti literis apparet, quam sedulo Noster singulis fere diebus, immo ipsa illa die XVIII Martii, rerum urbanarum faciem delineaverit.<sup>28)</sup> Neque Montalivetus solus frequentes nuntios desiderabat, sed Imperator ipse tam acri atque intento animo res Hamburgenses persequebatur, ut de impendente ultione nemo posset dubitare.<sup>29)</sup>

Pronis, ut in republica turbata, ad suspicionem animis, non deerant, qui Nostrum, haud sane cognita Viri indole,<sup>30)</sup> pro sectatore Francogallorum haberent. Sparsis in vulgum libellis Senatus edicto solenni occurrendum censuit.<sup>31)</sup> Scilicet ipse non semel collegas cohortatus erat, ut fortiter agerent, quidquid re fere desperata agendum esset.<sup>32)</sup>

Verum irrita omnia, eoque mox perducta, ut nulla nisi in exilio salus appareret. Tum Noster quoque, Davustii furorem et militaris iudicii ludibrium defugiens,<sup>33)</sup> Dobberanum sese contulit.<sup>34)</sup> Inde Montalivetum et Chabanium literis adiit, qui non pro sua qualicumque fortuna, sed pro Urbe apud Imperatorem atque Davustium intercederent. Venia reditus impetrata, aperte est protestatus,<sup>35)</sup> in exilium potius detrudi se velle, facta rei familiaris jactura, quam durissimae in cives animadversionis instrumentum sese praebere. Relicta aliis obsequii gloria, ipse Parisios sese contulit, ne quid pro salute Urbis non tentatum relinqueret. Davustium quum movere nequisset, in Montaliveti humanitate omnem spem collocavit, quaeque ipse miserrima viderat, urbis squalorem et moerorem, imperii acerbitem, militarem denique licentiam imperterrito calamo exposuit. Labante Imperatoris fortuna, quum Montalivetus, negotiis obrutus, causam Hamburgensium juvare non posset,<sup>36)</sup> tum demum Noster Kiloniam sese recepit, ut praesto esset, si qua libertatis spes illucesceret.

IV.

Exeunte Decembri Kiloniae una cum Nostro complures neque ultimos civitatis viros versatos fuisse constat. Liberata enim Lubeca, expugnata fere omni Holsatia, factisque induciis ipse Danorum rex si nondum socius at non hostis erat reputandus. Firmata paulo post pace Kiloniensi eo tandem res devenisse videbatur, ut Russorum dux satis amplis instructus copiis urbem arctiori obsidione clauderet. Tum vero respirare coeperunt homines, nondum re, sed spe recuperandae reipublicae. Atque illi quidem qui majorem in oppugnatione quam in obsidione spem collocaverant, expectatione deciderunt quum die XVII Februarii, omnibus rebus dispositis, glaciato flumine (id quod Davustius non parum<sup>37)</sup> formidabat) atque aperto ad occupandum pontem aditu, ad nostros prima in acie pugnam capessentes id mandati a Ruthenis delatum esset, ut, omisso proelio, re infecta<sup>38)</sup> ad castra remearent. Adlatis dein undique tormentis,<sup>39)</sup> quibus Benningsenius carere sese non posse professus erat, quum nihil omnino ageretur, nemini dubium esse potuit, trahi in longius obsidionem, calamitates civium, hostium in urbe grassantium impunitatem propagari. Quo medio tempore quam censetis distentos et suspensos spe metuque fuisse eorum animos, qui morae impatientes et consilii expertes quod agerent et facerent omnino non haberent. Quanto felicius Ille, cui ne otium quidem unquam ita esset otiosum, ut non mali aliquid averteret, aut vacuo aliquo officio defungeretur, aut reliquis viam monstraret, qua possent inservire reipublicae. Primum absolvit libellum, exigui voluminis sed aureum, de instauranda republica,<sup>40)</sup> cujus exemplaria, auctoris nomine neque enuntiata neque dissimulata,<sup>41)</sup> ipso mense Februario cum nonnullis amicorum aliisque viris cordatis communicata, sed ante Majum mensem nulla omnino fuerunt divendita. Volebat enim periculum

37/ ✓

38/ ✓

✓

40/ ✓  
41/ ✓

facere, quantum ad sanandas mentes calamitas valuerit. Ipse autem habebat persuasissimum, tempus adesse providendis in posterum consiliis, atque institutis majorum ad amissim retractandis, ita quidem ut correctis aut omissis quae ingenio seculi aut usui rerum minus concinna visa essent, non solum forma et extrema quasi lineamenta reipublicae servarentur, sed velut in pictura, quae vetustate evanissent, iisdem quantum posset fieri coloribus renovarentur. <sup>42)</sup> Neque illum fallebat, gliscentibus vitiis neglectisque remediis corruptionem optimarum rerum evadere pessimam, et, quod in alienis rebus publicis non semel accidit, impetu tandem facto convelli omnia, sursum deorsum misceri, ipsa denique genera generibus commutari. Erat igitur, si quid audacius suadendum sibi sumeret, servandae reipublicae causa sapienter popularis. Exstant literae ea de re a diversis conscriptae, <sup>43)</sup> quibus pro sua quisque indole aut comprobant consilia collaudatque, aut (quae est virorum bonorum ac locupletium perturbatio) praesentem miseriam caecorum metu periculorum amplificat, aut pervicaciam, supercilium, fastidium incusat, quibus res magnae spei maximaeque utilitatis si non frustrari at certe differri multisque modis possit impediri.

Grandis deinde pecunia quum praesertim ab exteris, casus scilicet Hamburgensium miserantibus, collata esset atque Bernadotti principis liberalitate adaucta, in usum eorum, qui a Davustio inclementissimo tempore brumali in exilium erant detrusi, destituti omnibus rebus et quasi denudati ac, ne tecto carerent, pars ab Altonanis <sup>44)</sup> alii a Lubecensibus et Bremensibus humanissime recepti, Perthesius enixe Nostrum rogavit ut donis istis administrandis atque distribuendis non solum interesse velit sed etiam praeesse. <sup>45)</sup> Quod munus, quamquam nec a molestia liberum nec ab invidia, Ille summa cum diligentia summaque dignitate suscepit.

Quam libenter olim in regendo versatus sit municipio, supra demonstravimus. Jam vero quum Francogalli oppidum castellum et semet ipsos dedidissent in manus Russorum atque Anglorum, quorum

illi terra hi mari instarent, quumque magistratus ad pristina officia essent reversi, Noster non solum revisendi Ritzebutteli desiderium explevit, suosque tanquam in receptaculo ibidem collocavit, sed et munus administrandi pro praetore municipii postliminio recepit. Neque parvi res erat momenti ut adesset aliquis qui publicam quasi auctoritatem interponeret, ne pulso hoste (quem moderate imperio usum ferunt) ad militares duces amicarum quidem sed exterarum nationum summa rei rediret. Angli inprimis multa pro libito agebant, Albim obsidione tardius liberando, commeatus a Belgis arcendo, munimenta dein omnia perrumpendo atque dejiciendo, quae demolitio incolis admodum molesta fuit neque adeo periculo vacua, quum facile fieri posset ut perfractis aggeribus uno et altero loco aestuaria admitterentur. Re autem delata ad ducem Cantabrigiensem qui Hanoverae degebat, missisque Londinum literis, ea jussa, quae e re essent, sunt impetrata. <sup>46)</sup>

Urbe ab hostibus adhuc retenta misereque mulctata factum est ut quidquid in omni circuitu ad ditionem ejus pertineret, a sociis occuparetur. Sed quod Ritzebuttelanis, ut diximus, contigerat, id ipsum aliis in locis magnopere desiderabatur, fortis scilicet et provida cura viri imperio adsueti atque publico nomine constituti. Ipse Benningsenius non semel eam rem manifeste necessariam commendaverat, cujus quidem auctor fieri nollēt, sed confirmaturum sese et pro rato habiturum professus erat, si quis nomine Senatus Hamburgensis administrandis istis regionibus operam voluerit impendere. Ita res ad Nostrum devenit, qui, certior factus, profligata lege, incredibili cuncta licentia passim agi ferrique, necessitatibus municipum ita consulendum censuit, ut duabus praefecturis Todium Palmiumque, viros industria atque integritate probatos praeficeret, quorum imperium a Benningsenio sine mora est confirmatum. <sup>47)</sup>

Sed alia jam instabant eaque majora negotia quae impensiores curam flagitarent. Lubecensis atque Bremensis respublicae suo decori dudum redditae; restituta in utraque civitate summi ordinis

potestas, cujus ne vestigium quidem res Hamburgensium spectanti sese obtulit, quum Senatorum pars in urbe obsessa inclusi, reliqui in exilio essent dispersi. Erant qui persuasum haberent, esse debere aliquam rempublicam, licet occupatis ab hoste civium sedibus, esse aliquam curiam quae, etsi minus frequens, sanctissimi tamen concilii imaginem quocunque modo referret, Consulesque in id dictos ut ubicunque versarentur ibi reipublicae pro virili consulere. Quibus hoc placuerat, quique priori anno post casum Hamburgi et Lubecae, Brema nondum liberata, quoniam publicis ducibus respublica careret, privati aliquam Hanseaticarum rerum curam susceperant, urbiumque salutem, quam alii pugnando tueri niterentur, consulendo atque cum sociis tractando studuerant promovere, iidem jam viri ineunte Januario statuerunt qualemcunque suam potestatem in Nostri manus resignare, quum nulli dubitarent quin Ille, collecto collegarum numero, supremum quoddam civitatis concilium efficeret.<sup>48)</sup> Reliquis de sua ipsorum auctoritate dubitantibus, permulti Nostrum hortabantur, ne in portu maritimo remotus a castris praetorianis amplius delitesceret; quodsi alii onus reipublicae administrandae defugiant, ipsi saltem, qui manifeste cum imperio esset, aliquid esse audendum; ceterum quodsi per se ad rempublicam accedere voluerit, gratissimum sociis facturum, qui conquererentur, nihil fieri vitio illorum, quos ipsi earum rerum auctores esse voluissent. Ille, quanquam ab initio animi incertus atque veritus, ne in alienam messem immitteret falcem, brevi tempore interjecto res eo sensit esse perductas, ut civitas ipsa magna voce illud Tullii clamitare videretur: Ipse tibi sis Senatus: quocunque te ratio rei publicae ducat, sequare. Ita factum, ut ille unus multa ageret,<sup>49)</sup> quae non nisi solenni curia agi solerent, atque a Benningsenio, quocum consilia frequentissima communicabat, non aliter reciperetur, ac si Senatus auctoritate munitus ad eum accederet. In eundem virum omnium bonorum oculi magis magisque conversi, ita ut mirifico studio in ipsum<sup>50)</sup> tanquam in auctorem instaurandae reipublicae consentire viderentur.



## V.

Francogalli quum, moras ex moris nectendo, urbe misere mulctata plane nunquam viderentur excessuri, magistratusque ab ipsis constituti vel fugam caperent vel imperio sese abdicarent, verendum erat, ne, omni civili auctoritate profligata, res ad faecem militaris licentiae veniret. Constituto tandem Senatu excitati sunt qui aberant, ut quam primum adessent rei publicae instaurandae consulerent. <sup>51)</sup> Plurima negotia Nostro expedienda tradita, quippe qui unus cum Benningsenio aliquam familiaritatem contraxisset atque, ut diximus, cum vicinis magistratibus publico nomine aliqua transegisset. Sed alia de causa in Nostrum omnium oculi sunt conversi. In promptu erat quaerere, quid publice facturus esset, quo successu, ad solvenda illa de republica vota, quorum ducem et auspicem privata scriptione sese obtulerat. Neque ullo loco Ille defuit, quin protinus de statu reipublicae, ubi opus foret, retrahendo consilia inirentur. Verum XX viri in id solum constituti, ut cum Senatu more majorum temporibus et necessitatibus reipublicae occurrerent, quae quidem res, summo cum studio atque prudentia singulari adnitentibus, admodum prospere cessit. Iidem quum, tempore imperii fere absunito, sententia egressi de universa quoque republica retulissent, nihil in praesens effecerunt. <sup>52)</sup> 0

Noster paulo post ineunte scilicet mense Septembri quum in municipium sese recepisset, amicos, qui de urbanis rebus scribes plurima desiderarent, nonnulla etiam lugerent, hortari solebat literis, Romam adeundi complures esse vias; ne de republica velint desperare, quodsi una aut altera ratio medendi frustra fuerit tentata. Leniter atque sensim progredienti iter non fore incassum. Nihil omnibus numeris esse absolutum. Si quid consideratius ageretur,

taedii culpam et segnitiae praesto esse. Sed ubi optima sit voluntas, summa moderatio, reipublicae usus et cura non mediocris, ibi bonum civem et cordatum paucis maculis offendi non debere. Solebat addere, suum testimonium suspectum esse non posse, se enim aperte quae viderentur immutanda significasse. Ceterum inesse et civibus aliquam incuriam atque socordiam; ipse si stimulo parcas, qui possis aliena otia incusare? <sup>53</sup>)

Eo erat usu, ea exercitatione praeditus, ut non quid optimum quaereret, sed quid hoc populo posset obtineri. Ita factum ut minus aegre ferret infecta vel inchoata quae agenda visa essent. Idem vero singularem felicitatem agnovit, quod extra contentiones, atque eo in loco positus esset, ubi nullis ambagibus impeditus, quid utile, quid non, dijudicandi copiam haberet. Erat enim totus (nisi quod Davustio <sup>54</sup>) respondit, qui sese excusando odium generis humani lenire tentaverat) in regendo municipio, quod tempore interregni misere erat vexatum et fere disperditum. <sup>55</sup>) Jam vero duplicatas Illi vires diceret, quum non ad praeceptum agere, sed libere ad summam rerum consulere deberet. Quo officio ita est functus, ut difficile sit dictu, utrum ex istis laboribus majorem ipse voluptatem, an municipium utilitatem tulerit.

Singula si velis recensere, scholas apertas, fundatam ecclesiam, pauperum curam de novo susceptam, exstructas naves cursorias, instructa balnea (quae in ista Germanici oceani ora nulla fuerant) haec et talia enumerando, nullo modo effeceris ut quid Illi debeant municipes aestimari possit. Sed audiendi sunt Ritzebuttalani, quos, quoties de illo praefecto sermo fuerit, pectus disertos facit et quidem disertissimos. Tum demum qualis praefectus fuerit aestimare poteris, quum cognoveris quali in ipsum animo fuerint municipes, postquam Ille officio excessisset. Nullum casum senserunt (et erant complures per annos assiduis calamitatibus graviter afflicti) quin ad Illum velut ad certissimum portum omni ex aerumna confugerent. Neque Ille, licet aliis negotiis implicatus, alienam a se ullam rem putabat, quae

municipium attingeret, ita ut consolando et consulendo, amicos ob-  
eundo, divites excitando, populum ad miserationem flectendo, ad  
ferenda auxilia nunquam non esset paratissimus. Vix ullum omisit  
annum, quin municipium viseret. De fructu laborum certior factus,  
non de re bene gesta sibi gratulabatur, sed, qua erat pietate erga  
Deum non fucata, divino beneficio id monebat esse factum, quod  
quam sit ex intimo animo profectum, lacrymas subinde testatas esse  
accepimus. Qui scriptionem legere velit, quam Ritzebutteliani,  
gratulabundi de domestica laetitia, Illi obtulerunt, <sup>56</sup>) et Waltheri  
orationem, cujus gravitas ne levissimam quidem adulationis speciem  
admittit, is facile sibi persuadebit, non adeo multos mortales tam  
piam recordationem aliis inserviando meruisse.

Ritzebuttelanis petentibus concessum, ut praefectura, quae  
sex in annos demandari solet, Nostro in integrum annum (ad  
aestatem usque anni MDCXXXI) prorogaretur. Reverso deinde  
in urbem, cura salutis et securitatis in rebus urbanis prospici-  
endae demandata. Quod officium ita late patet, et cum omni  
fere reipublicae parte ita est intermixtum, ut a recentioribus  
barbaro vocabulo, in similitudinem *της πολιτειας* corrupto, soleat signi-  
ficari. Neque quidquam ad ipsius indolem et ingenium melius  
poterat esse accommodatum. Erat enim acerrimus in depre-  
hendendis scelerum vestigiis et quasi initiis, et in reprimendo omni  
nefario conatu gravissimus, quum persuasum haberet, referre rei-  
publicae prohiberi potius malos cives ne quid moliri possent, quam  
puniri molientes. Sed idem exorabilis erat, facilis ad ignoscendum,  
facto discrimine levitatis ingeniorum et nequitiae absolutae, habita  
quoque ratione, quid animo nulla fere disciplina instructo et improba  
consortia suaserint et miseria. Talibus curis distento pro arbitrio  
multa esse gerenda, quis nescit? Quae res in libera civitate pessimi  
potest evenire exempli, praesertim quum in tanta hominum colluvione  
ad aliquam tolerabilem formam id negotii redigere perquam sit diffi-  
cile. Quo in magistratu Ille ita est versatus, ut, qui popularis antea

## XVIII

fuerat, multo inde evaderet popularior. Sunt quaedam quae etiam nunc ore hominum feruntur, fabulae quidem, sed non male fictae ad illustrandam Illius indolem; quarum mentio non visa est supersedenda (sunt autem fere ad illa, quae Liutprandus Cremonensis episcopus de Leone Graecorum imperatore narravit, conformata), quia fidem habent, quam apud populum nunquam habitura erant, siquis iniquius aliquod vel durius vel omnino minus humane dictum aut factum Illi tribuisset.

Quam accurate cognoverit res eorum, qui labore quotidiano victum quaerunt, quantoque et quam prudenti studio ea potissimum egerit, quae illorum conditionem meliorem reddere possent, videre est ex duobus institutis, quibus incipiendis et promovendis Ille, recens ab eis quas modo dixi curis, singularem operam navavit. Arcam dico, in qua tenuissimum quaestum certissimo foenore locare possis, ita ut nemini non constet, optimum vectigal esse parsimoniam, atque scholas seu receptacula tenerioribus annis, ut semoti a pravis exemplis coecisque periculis matris curam ne ea quidem diei parte desiderent pueri, qua ipsa, ut in re angusta, aliis negotiis et laboribus vacare debuerit. Nescio an ex ullo alio instituto majorem fructum perceperint ii, qui honestam licet tenuissimam rem domi stipi rogandae aut ancipiti lucro praeferre constituerunt.

Solutum isto munere sex annorum atque laborum haud vulgarium disparia excipiebant negotia, praefectura Hammensis et cura rerum scholasticarum, quam Bauschii vice breve per tempus sustinuit. Neque omittendum hoc loco, animum Illum sine mora applicuisse ad res Gymnasii expediendas, cujus instaurandi et ad usum rerum conformandi primas lineas ab Illo, tempore isto quamvis exiguo, ductas fuisse non omnibus suspicor esse notum. <sup>57)</sup>

Praefectura, quae tum temporis etiam suburbii (quod Sancti Georgii audit) administrationem complectebatur, non erat sine molestia. Namque suburbani eo ipso tempore impensius efflagitabant, ut certa lege tandem in civitatem reciperentur. Usurpationis sese

argui, quum nihil aliud sibi sumerent, nisi quod ab aliis saepenumero, nemine intercedente, esset usurpatum. Ad legem provocari, quam (si pressius velis agere) rem esse surdam, inexorabilem; in tot rerum humanarum vicissitudinibus interjecto seculo, eodem iure, eoque adstrictissimo, vivi non posse. Non nescire se, posse cupidius a nonnullis actum videri; sed ignoscendum, si spem civitatis adipiscendae differri non satis aequo animo paterentur. Ea res imperante Nostro ad finem non perducta; sed vix opus est adfirmare, lege, quam et usus coarguerat et status reipublicae inutilem fecerat, stare illum non voluisse.

Ad summum honoris gradum, Amsinckio rebus nostris erepto, evector est a. d. II. Kalendas Julias anni MDCCCXXXI. Aliquot per annos, integris adhuc viribus, strenue et fortiter agebat. Neque a dignitate officii alienum arbitratur, scriptionibus, prout occasio ferret, cives cohortari, reipublicae rationes explicare, erroribus aut malis consiliis occurrere. Qua in re Moeserum, ejus generis inter Germanos principem, tanquam exemplar sibi aliisque proponere solebat.

Verum quarto post anno gravi morbo correptus, ex quo recreatus quidem sed pristino vigori nunquam est redditus. Curabat negotia publica, legebat et obelis passim notabat et in fasciculos digerebat, quae de rebus imprimis Hamburgensibus edita essent scripta; scribebat etiam, neque a salse dictis abhorrebat quae eadem qua quondam benevolentia erant temperata. Benignum dixeris senem qui juvenilem leporem et pueriles ludos adeo non aspernaretur, ut sermone eos foveret et voluptatem inde perciperet. Sed qui vegetum noverant in vivido pectore ingenium, ii demum judicare poterant, quantum esset immutatus.

Ingruente illa clade, qua gravior nulla urbi ex ignibus acciderat, tum vero, in tanta confusione et trepidatione, virum desiderares, qualis ille fuerat, et alacrem et promptum et rerum in discriminibus exercitatum. Sed corporis debilitate impedita et fracta animi vis; nec illi, qui ad tot casus paratissimum sese civibus probaverat, quid-

quam relictum, nisi ut, a turba ereptus, ex rure suburbano miserrima et videret et audiret et doleret.

Qui luctu erat oppressus, laetitia non est erectus. Festam dico illam diem, quae domui et amicis illuxit, nuptiarum ante decem lustra actarum anniversariam; quam publico etiam testimonio ornatam fuisse supra demonstravimus. Qua occasione vix ulla re animum senis aequae commotum accepimus, ac gratulatione Ritzebuttelensium suorum. Suos enim sese ab Illo vocatos atque fere natorum loco habitos gloriandi causa et tum adfirmabant et hodie adfirmant. Paucis denique elapsis mensibus, d. XVII Decembris MDCCLXXII, placide vita excessit.

Sed non excessit memoria civium neque est excessurus. Postrema enim haec, quae fragilitatem communis naturae referunt, dolorem quidem praesentibus movere, sed rerum gestarum recollectionem animique ejus speciem oculis obversantem conturbare nullo modo possunt.

Erant autem in Illo, praeter ea, quae in bonum civem virumque strenuum et prudentem fere cadere videntur, singularia quaedam, quae in libera republica imprimis memoratu sunt digna. Scilicet partes quum diversas a plerisque amicorum in rebus magni momenti sumsisset, nemo unquam de constantia ejus et amore erga patriam dubitavit; idem nonnulla liberius egit quam pro mandatis, neque in ullam incidit reprehensionem, quippe qui, quod potestate non posset, obtineret auctoritate; tulit denique (quod rarissimum) ex officio minime populari nomen apud omnem civitatis ordinem vere populare.